



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1656**

§. 159. Aspiciens illum. v. 67.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

raucedine mutauit. Estne tam periculosus aspectus mulieris in viro Eccl. siastico? Quid est hoc? certe humana natura hoc euentu valde fragilis esse proditur, quæ sic faciliter lœditur, & quæ sic leuiter lœdit, videtur esse valde venenata.

§. 159. Aspiciens illum. v. 67.

Antea vidit ancilla Petrum, hoc erat primus gradus ad Petrum, num ista effrænis etiam adspicit, id est oculos in eo figit intentiores, ut & cæteri illius directionē notare possent, & ipse Petrus aliquid singulare imminere ab ipsa. Cur hoc ita egerit, vel quid ipsa cogitauerit ita aspicioendo Petrum variè coniecto. Forte modestiorem cæteris vultu, gestu, moribus, facie infocum fixâ cum silentio, & vestibus compositis ad honestatem, & decentiam sui status Apostolici, indigne tulit, non esse ut alij lascivum, non sese indicare ad ipsam, ut cæteri exhibendo manibus & pedibus, huic Pontifici ancillæ signa reuerentia & amoris, sed solum calefacientem se, quasi abscondite, & cum timore & tremore.

**D**omine facillime produntur servi tui ex motibus diuersis & modis in verbis, ita ut etiam si se vestibus cum profanis hominibus concordando induant, tamen ex modo reliquo corporis aliquid de schola Christi effulgeat, & ex hoc ipso saepè Sacerdotes & religiosi prodantur apud Hereticos, quod tam luxuriose, & scurriliter non loquantur vel agant, ut alij. Hoc etsi aliquid affert ipsis ita proditis incommodi, tamen reuera valde eisdem est utile & gloriosum, quia impletur in eis donum tuum & verbum tuum, vos etsis lux mundi, non potest ciuitas supra montem posita abscondi. Hoc magnum est certe bonum, & inter læta reponendum.

§. 160. Ait: Et tu cum Iesu Nazareno eras. v. 67.

Iam prodit quod antea suspicabar, cum intente mulier illa Petrum aspiciebat. Sed valde mirandum videtur, quod ista ancilla sit tam gnara in discernendis personis, nescio quid de hoc cogitem, aut quæ sit causa, inter tot externos ministros illam ita exactè agnoscere Petrum. Hæreos, insolens res est, possum suspicari, quod diabolus eam sibi, ut præcipuum & apissimum instrumentum ad dejiciendum Petrum elegerit, & magis mota egreditur, quam seiplam movens.

**D**eus meus negare non possum, quod natura feminarum sit per suas qualitates valde apta ad operationem Diaboli, præsertim machinationes, ubi de viris agitur, quia intellectu & iudicio multo pusilliore est, quam vir, si prudentissima mulierum cum viro prudentissimo conferatur, & affectus nihilominus habet viuaciores, & quod semel apprehendit, ægerit, impunitus.